



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Exempla, Divinæ Iræ, Per Opera Poenitentiae, Nobis Leniendæ**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§.7. Angeli Custodis apparitio, & patris ostensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52193)

na, in omni lite, & licentia, in omni temeritate, fortunata. Ad extremum vitam quoque finiuit prosperè, & cælo velut applaudente. Quid igitur dubito? quid hæreo inter sacrum & saxum? quid me ipsam in partes distraho, atque affligo? *Sic oportet me vivere, sicut mater vixit.* Satius est enim oculis credere, & ijs quæ manifesta sunt, quàm sibi futura & incerta promittere. *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & Sap. 2. 6. utamur creatura tamquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus: & non pratereat nos flos temporis.* Quemadmodum etiam hodie nonnulli ex desperatione pacis dicunt: Nihil ampliùs orabo: non faciam quidquam pro pace, quàm diu jam frustra orauimus? O miser, tunè Deo tempus præscribis? Quàm diu ille te expectauit? & nondum pœnitentiam agis. Expecta & tu illum; qui non desistet nos bello castigare, donec nos peccare desinamus. Sed pergamus audire Virginem.

In hunc modum vbi iuueniliter statui, inquiebat, cæcoque consilio decreui misera, matris exemplo, voluptatem omnium malorum matrem amplexari, nox aërem, me somnus occupauit. Dormienti astitit

E 2

quidam

VIT.  
ANGELI  
CUSTODIS  
APPAR.  
TIO. ET  
PATRIS  
OSTENSIO

quidam grandi corpore, ( Angelus erat )  
 aspectu horribili, qui contracta fronte vul-  
 tuq; ad iracundiam composito me intuens  
 mirum in modum perterritus, voceq; asper-  
 rima interrogavit: Et quænam verò sunt  
 cordis tui cogitationes? Ego autem aspectu  
 habituq; eius tremefacta, oculos in eum  
 figere non audebam, sed, vt territi solent,  
 voce amissa, tacui. Cùm ille maiore quàm  
 priùs voce vsus, denuò iussit, vt ea, quæ sta-  
 tueram, sibi recenserem. Ego autem timo-  
 re plena, meiq; ipsius, & cogitationum  
 mearum oblita; *Nihil esse dicebam.* Tum il-  
 le, me negante, omnia mihi, quæ tacita  
 mecum meditata fueram, in memoriam or-  
 dine reuocauit. Quid facerem conuicta?  
 falsa sum, quod decreueram, supplexque ad  
 preces confugi; vtque veniam consequerer,  
 causam candidè aperui mearum cogitati-  
 onum. Quam postquam retuli, dixit mihi:  
*Noli amulari in eo, qui prosperatur in via sua  
 in homine faciente iniustitias.* Et quandoqui-  
 dem diuersi moris parentes habuisti, & tibi  
 placet alterutrius vestigijs insistere, veni  
 mecum, & priùs vtriusq; statum vide, po-  
 stea, quam volueris, vitam tibi elige imitan-  
 dam, Dixit: & manu apprehensam secum  
 traxit.

Psal. 36  
 7.

traxit. Sequebar illum, & veniebamus in  
ingentem amœnumq; admodum campum.  
Vbi horti floridi, varijs arboribus consiti  
jucundissimè inumbrabantur. Fructus au-  
tem diuersi & generis, & coloris, inter vi-  
ridantes ramos, pependerunt. Tanta autem  
erat loci illius fragrantia atque pulchritu-  
do, vt me in Paradisum translata existi-  
marem. Inter omnia autem mihi gratissi-  
ma, accidebat defunctus pater, lætissima mi-  
hi facie occurrens, atque in amplexum ru-  
ens, meque osculo salutans, & filiam suam  
appellans. Ego gaudij plena, in amplexu  
eius hærens, cum satiari eius aspectu non  
possem, rogitaui eum, vt mihi cum illo sem-  
per inibi permanere fas esset. Ille verò,  
Nunc, inquit, filia, non potes hîc mecum  
permanere; quòd si autem vitæ meæ vesti-  
gia sequi volueris, certò huc, breuique tem-  
pore es peruentura. Addebam ego preces  
precibus, & cupiebam cum eo perseuerare,  
sed qui eò me duxerat, iniecta manu, rursus  
me inuitam admodum & renitentem ab-  
straxit, dicens: Ades, ostendam tibi & ma-  
trem tuam, vt scias, in cuius tibi mores sic  
declinandum.

Hîc jam non Virginem illam ampliùs

VIII

E 3

ca.